

Conditiones testamentorum.

815. — Ut testamentum sit firmum et validum, requiritur 1^o ut habeat conditiones ad contractus gratuitos requisitas, et imprimis consensum liberum et spontaneum; 2^o ut dispositio bonorum fiat iuxta reservationem seu legitimam heredibus a lege assignatam; 3^o ut non fiat ab inhabili ad testandum, nec in gratiam inhabilis ad recipiendum, seu ad succedendum in iura defuncti; 4^o ut servantur substantiales formalitates iure praescriptae.

816. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An facultas testandi oriatur a iure naturali, an a civili tantum?*

Resp. Iuxta sententiam communiorem et probabiliorem repetenda est primario a iure naturali, quia talis est persuasio communis, quae ultimas voluntates ut quid sacrum habet, et quia ius testandi antecedit omnem legem civilem. Ex iure enim naturae quisque potest disponere de bonis suis prout vult, etiam post mortem, et hoc est ius privatum. Sed etiam Respublica habet sua iura, et inter alia ius praescribendi normas circa contractus; hoc ius est *naturale*, quippe necessarium ad bonum societatis. Si autem sit collisio iurium, ius privatum, utpote inferius, cedere debet. — V. *dicenda infra*, Q. 4^o.

QUAER. 2^o *Cuiusmodi testes requirantur in testamentis?*

Resp. 1^o *Ex Iure Romano* debent esse masculi, puberes, liberi, non surdi, non muti, non caeci, non intestabiles a lege (3), non heredes ex testamento, nec domestici testatoris vel heredis; non tamen excluduntur legatarii. — S. Lig. n. 919.

Resp. 2^o *Ex Iure Gallico* postulatur masculi, maiores, subditi Reipublicae, fruenter iuribus civilibus (*), non scribae notariorum qui actum conficiunt, non legatarii seu heredes, neque horum consanguinei vel affines intra *quartum* inclusive gradum, id est intra *secundum* iuxta computationem canonicam pro linea transversali; attamen in mystico testamento legatarii aut eorum cognati non excluduntur. — Art. 975. 980.

817. — **QUAER.** 3^o *Quaenam requirantur ad validitatem in testamento holographo?*

Resp. Tria requiruntur et sufficiunt, scilicet 1^o ut integre scribatur propria testatoris manu; 2^o ut apponatur dies, mensis et annus, quo confectum est; 3^o ut nomen proprium testatoris subscribatur in forma chirographi ad calcem testamenti et integris litteris. Sic ex art. 970.

(3) *Intestabiles a lege* dicuntur, qui iuxta leges testimonii dicendi ius non habent.

(*) Ius italicum admittit etiam extraneos residentes in regno. Art. 788.

Porro 1^o Adiectio diei, mensis et anni arithmetice notis fieri potest, et in qualibet testamenti parte collocari, sed tutius est integris litteris eam conscribere; 2^o inscriptio loci, ubi testamentum conficitur, minime necessaria existimatur; nam ex art. 999. valet testamentum, ubicumque conditum fuerit; 3^o papyrus quaelibet, licet non obsignata, sufficit: si tamen res ad iudicem deferatur, muleta erit ab herede solvenda (30. fr.); 4^o testamentum *holographum*, antequam executioni mandari queat, praesentari debet iudici in Tribunali primae Instantiae: iudex vero post sufficiens examen iubebit, illud apud aliquem notarium custodiri (art. 1007.). Sed haec forma accidentaliter omnino est. — V. *Casus*, n. 829. et seq.

QUAER. 4^o *An valeant in foro conscientiae testamenta ad causas profanas, formis legalibus destituta?*

Resp. Triplex habetur probabilis sententia, prout supra n. 786. generatim de contractibus praeter legis praescripta confectis dictum est. I^a igitur SENTENTIA admittit, huiusmodi testamenta secundum legem naturae valida haberi posse. — II^a SENTENTIA docet, ea vi legis positivae prorsus irrita habenda esse. — III^a SENTENTIA favendum esse possessori pronuntiat, donec res a iudice dirempta fuerit (4). Et haec tertia opinio, iuxta S. Lig. n. 927., prae caeteris in praxi tenenda est. Interveniente autem iudiciali decreto, huic ex omnium sententia est adhaerendum. — V. *Casus*, n. 857.

818. — **QUAER.** 5^o *An testamenta ad pias causas sint valida, si formis legalibus careant?*

Resp. Affirm., et haec sententia communissima et certa est; 1^o quia constat ex Iure canonico, *Decret.* l. 3. tit. 26. c. 2. etc; 2^o quia piae causae ad Ecclesiam pertinent, eiusque subiacent iurisdictioni: porro Ecclesia libera et immunis est a potestate civili in iis omnibus, quae iurisdictioni suae directe subsunt. Quare e Conc. Trid. sic statutum est: *Episcopi, etiam ut Sedis Apostolicae delegati, in casibus a iure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, sint executores.* Sess. 22. c. 8. *de Ref.* — Ita S. Lig. — Less. — Ronc. et alii. — S. Poenitentiaria, pluries interrogata, huic sententiae adhaerendum esse respondit.

Non apparet igitur probabilitas alterius opinionis, quam de caetero eius quoque patroni fere ad nihil in praxi redigunt. Putant enim, huiusmodi legata pia valere, si rationabiliter praesumatur, ea tum ad restitutionem implendam, tum ad preces pro anima defuncti erogandas destinata fuisse.

(4) De tertia hac sententia vide quae superius (ad n. 786.) adnotata sunt.

Addo tamen, Confessarium, habita ratione ignorantiae fidelium, qui saepius aegre sibi suadent, praefatam assertionem veram esse, plerumque illos in bona fide relinquere debere (5). Quod si interrogetur, ut supra dictum est, respondebit. — V. *Casus*, n. 1859. et seq.

819. *Casus*. — 1^o *Leander* a *Liborio* familiari suo mox e vivis decessuro conspicuam pecuniae summam, instar muneris *de manu*, ut aiunt, *ad manum* acceptat. Defuncto *Liborio*, dubius ancepsque *Leander*, utrum tuta conscientia donum servare possit, ignorat. Quid interroganti respondebit Confessarius? — *Resp.* Nihil esse cur *Leander* de donationis valore dubitet, eam scilicet valere uti donationem *inter vivos*. Excipe, 1^o nisi donatio ius heredum evidenter laedat; 2^o nisi donatarius inhabilis sit (6) ad donationem acceptandam. — Gousset, n. 796. etc.

2^o *Polydorus* moriens dicit *Paulo* heredi naturali: Sponde mihi, te legata haec soluturum esse: heredis autem promissis confisus, *Polydorus* abstinere a conficiendo vel immutando testamento, vel ab iisdem legatis inscribendis. *Paulus* promissis valedicens, renuit legata persolvere eo quod in testamento inscripta non fuerint. Quid iuris? — *Resp.* Ex iure naturae *Paulus* in foro conscientiae ad solvenda omnia legata promissa tenetur non obstante defectu formarum. Ratio est, 1^o quia non nisi ea conditione testamentum accepit; 2^o quia per promissionem suam confectionem aut mutationem testamenti impedivit.

3^o *Gabinus* heres ex testamento informi, accipit et retinet hereditatem, ut sibi legitime acquisitam; sed abstinere a solvendis legatis, ob defectum formae in actu testatoris. Quid de eo sit sentiendum? — *Resp.* Quantum sit iniustus et ridiculus talis agendi et ratiocinandi modus, ex sensu communi clare et evidenter patet. — *Voit de Conscientia* n. 104. — *Elbel de Consc.* n. 190. — *La Croix*, l. 1. n. 373.

4^o *Anatolius*, confecto testamento holographo, moritur antequam subscribere potuerit. *Sabinus*, heres nominatus in hoc testamento, subscriptionem testatoris tam bene simulat, ut vere ab ipso confecta visa fuerit. Attamen cum suborta fraudis suspicione testamentum ad iudiciale forum fuisset delatum, a iudice validum declaratum fuit. Quid iudicii? — *Resp.* *Sabinus* ad restitutionem tenetur quia per fraudem hereditatem sibi vindicavit; fraude enim remota, certo per sententiam ab hereditate exclusus fuisset. Sententia igitur *Sabino* favere non debet, cum falso facto innitatur.

(5) Haec doctrina nititur communibus principiis circa opportunitatem monendi vel non monendi poenitentes, etiam cum de obligationibus iustitiae agitur.

(6) Intellige, nisi inhabilis sit etiam in foro conscientiae.

PUNCTUM II. — *De testatoribus et heredibus.*

820. — I. Testatores esse possunt: *Ex Iure Romano* omnes usum rationis habentes, exceptis surdis-mutis a nativitate, impuberibus (7), prodigis, damnatis ad mortem civilem vel naturalem, necnon Religiosis professis. *Ex Iure* autem *Gallico* 1^o omnes qui donationes facere possunt *inter vivos*; 2^o uxores, quae licet donationes *inter vivos* erogare absque speciali mariti consensu, aut iudicis auctoritate nequeant; neutro tamen horum indigent, quo libere disponere per testamentum possint (art. 905.); 3^o minores ab anno 16 testari tantum possunt de dimidia parte eorum honorum, de quibus maiores disponere valent (art. 904.); non vero testari possunt interdicti.

821. — II. Quod ad heredes attinet, 1^o Institui possunt heredes, quicumque a iure positivo non sunt specialiter prohibiti, licet usu rationis careant, ut dictum est de donatione, n. 802.

2^o Prohibentur autem *ex Iure Romano*, damnati ad mortem tum naturalem tum civilem, perduelles, eorumque filii, spurii, iuxta restrictiones infra ponendas. *Ex Iure* vero *Gallico*, prohibentur illi, qui donationes recipere non possunt. — Vide supra n. 804. (*).

3^o Heres quilibet renunciare potest hereditati apertae iuxta axioma: *Nemo heres, nisi velit*. Sic *ex quocumque iure*. Ratio est, quia nemo tenetur acceptare beneficium, cuiusmodi praesertim est testamentum,

(7) Iuxta Institution. (lib. 2. tit. 12.) adde eos omnes, qui alieno iuri subiecti sunt..., adeo quidem, ut quamvis parentes eorum permiserint, nihilo magis iure testari possint. Qui quidem (ibid. §. 1.) aperte ab impuberibus distinguuntur.

(*) Iure italico privantur facultate condendi testamenti 1^o qui nondum annos duosdeviginti expleverunt: 2^o interdicti propter mentis infirmitatem: 3^o qui, etsi non interdicti, sani tamen mente non erant, cum facerent testamentum. Horum scilicet testamentum, quodcumque sit, irritatur. Artt. 762. 763.

Ex testamento autem nequeunt accipere quicumque legitimae successionis ab intestato sunt incapaces art. 764. Hi porro sunt 1^o qui, cum testamentum reseratur, nondum concepti sunt art. 724. Excipiun-

tur filii immediati personae viventis tempore mortis testatoris, qui, quamvis nondum concepti, excipere ex testamento possunt art. 764. §. 1.: Tum 2^o qui nati non sint vitales. Art. 724.

Tanquam indigni vero reiciuntur a successione 1^o qui voluntariae occiderit aut occidere tentaverit eum, de cuius successione agitur: 2^o qui eundem accusaverit delicti poena criminali puniendi, si accusatio declarata sit calumniosa in iudicio: 3^o qui eundem coegerit testamentum facere vel mutare: 4^o qui eundem impediverit a testamento faciendo vel revocando iam facto aut qui deleverit, celaverit, mutaverit testamentum posterius art. 725.

Exclusus tamen ob indignitatem poterit admitti, si is, de cuius successione agitur, expresse eum fecerit idoneum per actum authenticum aut per testamentum. Art. 726.

quod saepe magnis oneribus gravatur. Renuntiatio autem non praesumitur, sed cum forma iuridica fieri debet. *Ex Iure Gallico* facienda est in tabulario tribunalis territorii, in quo obtigit successio, et in speciali actorum codice, qui ad hunc finem ibi asservatur.

822. **Quaesita.** — QUAER. 1^o *Quotuplicis generis heres distinguatur?*

Resp. 1^o *Legitimus*, qui de iure succedit ab intestato;

2^o *Necessarius*, qui a testatore excludi non potest;

3^o *Voluntarius*, qui heres vocatur ex libera testatoris voluntate.

Hinc patet, distinguendum esse etiam heredem *ex testamento*, si per testamentum fuerit designatus, et heredem *ab intestato*, si de iure succedat defuncto, qui nullum aut imperfectum testamentum fecit.

QUAER. 2^o *Quinam sint heredes necessarii et legitimi?*

Resp. 1^o In utroque iure heredes *necessarii* sunt omnes cognati in *linea recta*, nempe 1^o *descendentes* in propiori gradu; 2^o ipsorum defectu *ascendentes*, tum ex parte patris, tum ex parte matris in gradu pariter propiori.

Resp. 2^o Heredes *legitimi* sunt insuper omnes consanguinei propioris gradus etiam in *linea collateralis* usque ad 10^{um} gradum in *Iure Romano* id est 5^{um} quoad computationem canonicam, et 12^{um} *ex iure Gallico*, 611. 755. (*).

823. — QUAER. 3^o *Quaenam sint iura et obligationes heredum?*

Resp. Generatim heredes succedunt in omnia iura et onera defuncti, quia illius personam repraesentant; excipiuntur ea tantum, quae personae defuncti natura sua vel pacto erant affixa. Hinc dominium bonorum defuncti pleno iure acquirunt, eius obligationes et debita in se suscipiunt, et ipsius voluntatem in legatis implere debent.

Quoad modum solvendi debita a defuncto relicta, singuli *pro rata* suae portionis hereditariae solvunt, et si propter hypothecam plus solvere cogantur, recursus habent contra caeteros. — C. C. 873.

Heres acceptare potest hereditatem sub beneficio inventarii, ita scilicet, ut facto inventario bonorum iuxta formam legalem, non obligetur ultra hereditatis vires. Si non eo modo acceptaverit, tenetur in foro externo omnia solvere debita, etiamsi vires hereditatis excedant. Controvertitur vero inter Theologos, an in hoc casu heres teneatur in foro conscientiae solvere debita quoad excessum prae bonis acceptis. — Sed *probabilius* et *communius* negatur. — Salmant. — Reuter. — Gousset, *Code commenté* art. 302.

824. — QUAER. 4^o *An heredes necessarii exheredari possint?*

Resp. 1^o *Ex Iure Romano* exheredari possunt filii sola patris auctoritate in casibus sequentibus: 1^o si filius iniiciat manus in parentem, aut

(*) Ex iure italico usque ad 10^m gradum, ut in iure romano. Art. 742. §. 1.

contumeliose eum tractet; 2^o si eius accusator aut testis sit in causis criminalibus; 3^o si rem habeat cum eiusdem uxore; 4^o si nolit fideiubere ad patrem e carcere liberandum; 5^o si patrem a condendo testamento prohibuerit; 6^o si filia, recusato honesto matrimonio, luxuriose vivat (8). — S. Lig. n. 948. et seq.

Resp. 2^o *Ex Iure Gallico* nunquam heredes privata auctoritate exheredari possunt. Iure tamen ceu indigni excluduntur ab hereditate in triplici casu, scilicet 1^o si vitae testatoris fuerint insidiati; 2^o si alimenta ei denegaverint; 3^o si eius memoriam graviter conviciati fuerint. — Vide art. Cod. 727. 955. 1046. 1047.

825. — QUAER. 5^o *Quaenam sit RESERVATIO seu LEGITIMA heredibus necessariis debita?*

Resp. Diversa est pro diversis iuribus. *Ex Iure Romano*: 1^o Quoad *ascendentes, triens*, seu tertia pars, deficientibus descendentes, reservatur.

2^o Quoad *filios legitimos, triens*, si non sint plures quam quatuor filii; et *semissis* seu dimidia pars, si plures sint.

3^o Quoad *filios naturales*, succedunt matri pari iure cum legitimis. Non succedunt vero patri filios legitimos habenti, licet ab eo duodecimam hereditatis partem accipere possint. Quod si pater filiis legitimis careat,

(8) Auctor quasdam tantum praecipuas et in praxi frequentiores exheredationis causas recenset. At plures omnino romanum ius habet (*Novell.* 115. et 22.), quippe quod quatuordecim enumerat in liberis, octo in parentibus, tres demum in

fratribus, quibus alioquin competeret inofficiosi testamenti querela; quas quidem habes hisce versiculis comprehensas (adi *Ferraris Biblioth. Can. Iur. Mor.* V. *Exheredatio*):

Quoad liberos — Bisseptem ex causis exheres filius esto:

Si patrem feriat, vel maledicat ei.

Carcere detrusum si negligat, aut furiosum,

Criminis accuset, vel paret insidias.

Si dederit damnum grave, si nec ab hoste redemit,

Testarique vetet, se societque malis.

Si mimos sequitur, vitiatque cubile parentum,

Si mutet fidem, si filia sit meretrix.

Quoad parentes — Si pater accuset capitalis criminis, aut se

Adiungat nurui, vitae est insidiatus,

Testari prohibet gnatum, matrique venenum

Praeparat, inclusum carcere vel furiosum

Negligat, et veram contemnat Religionem.

Quoad fratres — Tres licet ob causas ingratum pellere fratrem:

Si fratri insidias, perniciemque ferat.

Si scelera affingat ferro, focoque pianda,

Aut si fratras perdere tentet opes.

fili naturales ei in omnibus bonis succedere possunt (9). — V. S. Lig. n. 947. 951.

Ex Iure Gallico, sive pro testamento, sive pro donatione *inter vivos*:

1^o Quoad reservationem *filiis legitimis* debitam, si unus sit, *dimidia pars* honorum reservatur; si duo, *bes* (duae tertiae partes); si tres vel plures, *dodrans* (tres quartae partes). (*).

2^o Quoad reservationem *filiis illegitimis* legaliter recognitis attribuendam, si adsint alii legitimi, illegitimis reservatur tertia pars portionis quam reservatam haberent si essent legitimi; si deficientibus filiis, adsint ascendentes, fratres aut sorores, *dimidia pars* portionis praedictae; si

(9) Auctor, ut patet, in tertia hac paragrapho quaedam permiscet, quae ad quaestionem propositam *de parte legitima* nihil pertinent. Quae autem habet, clarius ex Card. De Lugo (*De Iust. et Iur.* disp. 24. n. 88-90.) sic intelliges: *Dicendum est primo, filium naturalem, deficientibus legitimis descendantibus et ascendentibus, posse accipere a parentibus* (scil. ex testamento) *omnia bona... De eodem autem iure communi, existentibus descendantibus legitimis, solum potest dari filiis naturalibus et eorum matri simul a patre* (ex testamento) *duodecima bonorum pars: matri autem soli superstiti dari potest dimidium duodecimae partis. Unde Covarrucias, quem affert et sequitur Molina disp. 166., infert, filiis naturalibus, mortua eorum matre, posse a patre dari integram duodecimam partem. Deficientibus vero descendantibus legitimis, et existentibus ascendentibus legitimis, et quibus de iure communi debetur tertia bonorum pars, reliquum dari* (ex testamento) *potest filiis naturalibus.*

Dicendum secundo, filios naturales de eodem iure communi, deficientibus descendantibus legitimis, et legitima uxore non superstite, succedere ab intestato patri in sexta parte bonorum dividenda per partes aequales inter ipsos et eorum matrem, si ea superstes sit; quoad reliqua vero succedunt alii

heredes ab intestato. Si tamen maneat vel filii legitimi vel legitima uxor, in nullo succedunt, sed debentur eis alimenta competentia. An vero idem dicendum sit, quando sunt ascendentes legitimi, quod adhuc filii naturales succedant ab intestato in illa sexta bonorum parte, aliqui negant, sed melius affirmat Molina dicta disp. 166. Et haec, quae dicta sunt de successione filiorum naturalium ex testamento vel ab intestato, locum habent etiam in nepotibus et pronepotibus respectu avi et proavi, et cum proportione etiam locum habent in ipsis adscendentibus naturalibus, qui eodem modo succedunt descendantibus in defectu descendantium, qui ascendentibus praeferantur; quod eodem modo verum est quoad alimenta.

Dicendum tertio: de eodem iure communi filii naturales non solum ex testamento possunt matri succedere, sed etiam ab intestato aequis portionibus cum filiis legitimis...; et idem dicendum de matre respectu filii naturalis succedenti in eadem portione filio, qui non habeat descendentes.

(*) In iure italico, quicumque sit filiorum numerus, dimidium bonorum est in libera potestate testatoris art. 805.

Si descendentes desint, sint tamen ascendentes, de duabus tertiis partibus (besse) testator pro arbitrio suo disponere potest. Art. 807.

vero alii tantum consanguinei, *dodrans* dictae portionis reservatur; si nulli consanguinei, reservationem habent eandem ac si essent legitimi.

3^o Quoad reservationem ascendentibus debitam, si adsint filii legitimi, ius nullum habent; si adsint fratres aut sorores, pater et mater ius habent unusquisque ad quartam partem (10); caeteri ascendentes a fratribus excluduntur. In caeteris casibus ius habent ad 2^{am} vel 4^{am} partem, prout sunt ex utraque parte, vel ex una tantum (11).

Uxor non venit inter heredes necessarios, aut legitimos ab intestato, nisi deficientibus caeteris legitimis intra gradus lege stabilitos. Ita ex utroque Iure, Romano scilicet et Gallico. Attamen ob arctissimam inter maritum et uxorem necessitudinem testator lege naturali aliquam partem adsignare debet coniugi superstiti, si bona sua sufficientia non habeat (**). Scavini. Deficiente etiam uxore, hereditatem init de Iure Republica. Hinc axioma: *Fiscus post omnes*. Ita etiam *in utroque Iure*.

Filius naturalis ex Iure Gallico recognosci debet per actum authenticum nisi recognitus fuerit in actu ipso nativitatis; sed nequeunt recognosci filii adulterini et incestuosi.

826. — QUÆR. 6^o *An testator de iure naturali teneatur SUB GRAVI relinquere bona cognatis, qui non sunt heredes necessarii?*

Resp. 1^o *Quoad fratres affirm.*, si sint in gravi necessitate; secus, non erit nisi veniale; imo nullum peccatum, si rationabile sit motivum. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 946. — Laymann. — Lugo..., etc.

(10) Pertinere haec videntur ad successionem ab intestato iuxta articulos 748-751. Nam in hypothesis testamenti, portio, de qua non licet filio disponere, quandoque reservatur solis patri et matri, fratribus exclusis. V. art. 915.

(11) Forte auctor iuxta art. 915. significare hic voluit, quod si desint pater et mater, etiam alii ascendentes ius habent *ad legitimam*, ita ut haec portio sit *semis* vel dimidia pars (non autem 2^a pars), si ex utraque linea simul supersint; *quadrans* vero vel quarta pars, si supersint tantum ex una.

(**) In iure italico *fili naturales legaliter recogniti*, si adsint descendentes aut ascendentes legitimi, ius habent ex testamento ad dimidium portionis, quae ad eos spectaret, si legitimi forent.

Si desint descendentes et ascendentes

legitimi, ius habent ad duas tertias partes eiusdem dictae portionis. Artt. 815. 816. At si pater intestatus moriatur, deficientibus descendantibus, ascendentibus et coniuge, filii naturales legaliter recogniti totam accipiunt hereditatem. Art. 747.

Portio vero debita ex testamento his filiis naturalibus non minuit legitimam debitam descendantibus aut ascendentibus, sed ex parte, de qua testator disponere potest, sumenda est art. 818.

Existentibus descendantibus legitimis, nihil ascendentibus debetur. Deficientibus descendantibus, debetur, ut iam monuimus, ascendentibus, si adsint, tertia pars bonorum.

Coniugi vero superstiti reservatur semper ius alicuius ususfructus, magis vel minus, ratione habita aliorum, qui concurrant. Art. 812. seq.

Resp. 2^o Quoad alios consanguineos remotiores, iuxta communiorem sententiam non est gravis obligatio eos caeteris praeferendi, etiamsi sint pauperes; non tamen peccatum veniale deerit, si omnino sine rationabili causa praetermittantur. — S. Lig. etc.

827. — QUAER. 7^o *An peccent in foro conscientiae contra iustitiam parentes, si laedant legitimam filiorum per testamentum, vel donationes inter vivos, aut contractus simulatos?*

Resp. Affirm. per se cum sententia communiore. Ratio est, quia lex gaudet omnibus conditionibus ad obligandum in foro conscientiae requisitis, scilicet, est iusta, utilis bono publico, et ipso facto irritans. — Reuter, n. 286. — Gousset. — Bouvier.

Dixi, *per se*, quia non videntur ullo modo peccare parentes, qui iusta de causa *partialiter* legitimam filiorum laedunt in aliquo casu particulari. Tunc enim cessat finis legis, quae attingere non intendit illos casus particulares, qui familiae prosunt, nec bono communi obsunt; v. gr. si pater donationes quasdam tribueret filio probo remunerationis gratia, unde minus filio dissipatori obveniret. — Gousset, n. 794.

Post factum non sunt facile inquietandi filii, qui maiorem paternae hereditatis partem non sine alterius heredis detrimento acceperunt, quando ex rerum adiunctis conici potest, parentes ex aliqua iusta causa ipsis favisse; praesertim si in bona sint fide, et merito timeri possit, ne obligationem renuant adimplere. Imo theologis non paucis videtur, legem civilem non posse ita obligare parentes ad aequalitatem inter filios servandam. Itaque eos *per se* a culpa eximunt, si de caetero honestae filiorum sustentationi sufficienter providerint, nec pravo fine moveantur.

828. — QUAER. 8^o *An parentes donationes manuales alicui e filiis, vel extraneis, aut causis piis, erogare possint?*

Resp. Parentes licite facere possunt donationes sequentes: 1^o donationes quae fieri solent inter coniunctos et amicos aequalis conditionis, ut munuscula, etc...; 2^o donationes remuneratorias pro quantitate et qualitate meriti iuxta aestimationem prudentium, quia potius solutio debiti alicuius, quam gratuita donatio dici istae debent; 3^o donationes quaslibet, *per se*, ex meris redditibus, intactis capitalibus, quae patrimonium proprie dictum constituunt (12), quia parentes *per se* nullo iure adaugere patrimonium ex redditibus vel labore tenentur.

(12) Minime apparet, curnam donatio fieri non ex iis quoque possit, quae patrimonium constituunt, dummodo legitima filiorum non laedatur. Lugo (disp. 23. n. 147.) de hac re ita scribit: *Parentes si inofficiose donaverint, hoc est in*

praeiudicium legitimae filiorum, eorum donationes revocari possunt a filiis. Non tamen est invalida donatio, sed irritari potest. Et sane quisnam contendat, patremfamilias, plura habentem praedia, partem v. gr. horti (qui sane

PUNCTUM III. *De dispositionibus testamentariis, seu de codicillo et legato.*

829. — I. *Codicillus*, seu parvus codex, est ultima defuncti voluntas minus solemnis et extra testamentum expressa, qua edicit, quid fieri velit post mortem suam de rebus suis, absque directa heredis institutione. — Clausula autem codicillaris est clausula testamento ipsi inserta, qua declaratur, quod si testamentum ex aliquo defectu non valeat, vi tamen codicilli valere debeat.

Ad codicillum sive nuncupativum, id est viva voce habitum, sive scriptum, sufficiunt quinque testes, etiam non rogati, et etiam feminae. Sic ex *Iure Romano*. In *Iure autem Gallico* codicillus non admittitur (*).

II. *Legatum* est donatio quaedam cuiusdam directe a defuncto relicta, et ab herede praestanda.

Legatum esse potest 1^o purum seu absolutum, vel conditionatum; 2^o universale, vel particulare; titulo universali, v. gr. *lego omnia mobilia*; vel particulari, v. gr. *lego talem summam*. Ex *Iure Gallico* nulla admittuntur legata, nisi in ipso testamento includantur.

830. *Quaesita*. — QUAER. 1^o *An legatum relictum puellis, ut nubant, possit illis de iure naturali dari, quae Religiosae fiunt?*

Resp. Affirm., si relictum fuit personae determinatae, nisi aliter constet de mente testatoris. — *Neg.* autem, si legatum relictum sit personis indeterminatis, quia tunc testatores potius intendunt providere solis puellis nubere volentibus, ne seductioni exponantur. — *Ita communius* cum S. Lig. n. 930. *contra alios* (13).

non computatur inter patrimonii redditus) vel etiam integrum hortum Cappuccinis donare non posse, si haec donatio integram filiorum legitimam relinquit?

(*) Nec in Italico; h. e. quem Romani *codicillum* vocabant, nunc testamentum simpliciter dicitur. Nam *institutio heredis*, propria testamenti Romani, non amplius postulatur.

(13) Otiosum non videbitur advertisse, etiam quoad secundum hoc responsionis membrum *affirmativam* sententiam auctoribus sane gravibus probatam fuisse. Adde, rationem, qua plerique ducti in *negantem* sententiam venerant, fatente Card. De Lugo (disp. 24. n. 293.), non satis efficacem videri. Num vero ipse efficaciorum huic a se posthabita suffecerit,

esto sapientiorum iudicium. Sane si argumentum peti debeat ab *Authentica Iustiniani*, quam omnes hic producunt, Lugo sincere fatetur, manifestum esse legis scopum, nimirum *Religionis favorem*. Si vero te convertas ad scopum testatoris haece dotes statuentis, nimirum (aiunt) ut e prostitutionis periculo puellae eriperentur, quae ob paupertatem nubere non possent, enimvero numquid minus eodem periculo liberantur, quae ob paupertatem ingredi monasterium non possent? vel dicemus, mentem testatoris eo spectasse, ut puellae, quae malesuada fame ac paupertatis angustiis premuntur, huic se periculo subtrahere non possent, nisi abiecto sacri cum Christo connubii proposito, ad saecularia vota se converterent?